



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Vniversalis Historiæ Ecclesiasticæ Medvlla**

**Pareus, Daniel**

**Francofurti, 1633**

Synodi Celebratæ Svb Henrico IV. Imp. & aliis, vsque ad tempora Caroli V.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64973](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64973)

ram nec doctrinam CHRISTI retinere dicebat, qui plus suis indulgentiis & traditiunculis, quam CHRISTI merito tribueret. Afferuit quoque, Papæ excommunicationes timendas non esse. Prædixit item futura quædam; nempe vastitatem Florentiæ, & Romæ, atque tandem instaurationem Ecclesiæ. Itaque acerbis quæstionum cruciatibus excarnificatus, iussu Alexandri VI. Pontificis Romani, vna cum duobus sociis, Syluestro Florentino, & Dominico de Pisis, Ordinis Prædicatorum, Florentiæ laqueo suffocatus & crematus est, Anno Domini 1498. 23. Maii, ætatis 46. A Iohanne Francisco Pico Mirandulano, & Marsilio Ficino, scripto contra Papam defensus, & tanquam Propheta celebratus est. Defenderunt & alii quidam docti viri Sauonarolæ eiusdem innocentiam. Philippus Cominæus lib. III. de bello Neapolitano, recitat suum cum Sauonarola colloquium, & vaticiniorum eius meminit. Item in fine libri V. de Hieronymi extremo supplicio.

SYNODI CELEBRATÆ SVB HENRICO IV. Imp. & aliis, vsque ad tempora  
Caroli V.

**A**Nno 1059. Romæ sub Nicolao II. Papa Concilium Lateranense celebratum est, in quo Berengarius Turonensis suam sententiam de Eucharistia reuocauit, ea verborum

Q 4

for-

forma, quæ extat in Decreto Dist. 2. de Consecr. Atque hanc Confessionem Berengarii Romæ coram 114. Episcopis editam misit Papa Nicolaus per Vrbes Italiæ, Germaniæ, Galliæ, & ad alia loca, vt Ecclesiæ, quæ prius doluerant de auerso atque peruerso, postea gauderent de reuerso atque conuerso. Berengarium refutarunt etiam Lanfrancus, Archiepiscopus Cantuariensis, & Guitmundus Episcopus Auerfanus, qui illo tempore vixerunt, & quorum hodie contra Berengarium scripta leguntur.

Anno 1074. Schisma ortum est propter sacerdotum matrimonia, à Gregorio VII. Pontifice inhibita, quam prohibitionem alii bonam ac piam, alii impiam & Euangelio contrariam esse contendebant. Scribunt ea de re Sigebertus, Naclerus, & Schaffnaburgensis mirabilia. Gregorius frequentes Synodos in Italia indixit, & cum Episcopis tandem hoc decretum fecit, vt ad sacerdotium nemo admitteretur, nisi cœlibatum profiteretur. Qui vero vxores haberent, vt eas vel dimitterent, vel sacerdotium desererent. Publicauit hoc decretum per omnem Italiam, & Galliæ etiam Episcopos crebris literis hortatus est, vt idem & ipsi ratum haberent. Sed offensi eo clerici fremere, & repugnare totis animis atque viribus cœperunt: indeq; grauissima in Ecclesia oborta sunt dissidia.

Archiepiscopus quidem Moguntin<sup>9</sup> eodem hoc anno 1074. Erphurdix conuentum egit, vt  
cle-

clericis cœlibatum iussu Pontificis obtruderet; sed magna fortitudine clerici repugnarunt, & Episcopus re infecta coactus est discedere.

Anno 1076. ortum est schisma inter Gregorium VII. & Henricum IV. Imp. quo Romana Resp. totaque Ecclesia misere turbata est. Henricus IV. Imp. Synodum conuocauit Wormatiæ, & Gregorium VII. siue Hildebrandum Pontificem, propter veneficia & alia scelera, Pontificatu indignum & remouendum pronūciavit: cui decreto subscripserunt Episcopi XXVI. Papa contra conuocata Synodo Romam caput mundi pronunciauit, & suę potestatis dixit esse, Imperatorem constituere. Distributis etiam viritim quindecim fere millibus aureorum, odium Imperatori conciliauit, eumque excommunicauit, & ab Imperio remoueri mandauit: omnesque Principes ac subditos Germaniæ absoluit ab obedientia Imperatori promissa. Interim deficiunt ab Imperatore Saxones, & alii, & à Principibus Imperii Comitibus agitantur Triburiæ, de deponendo Henrico, & alio eligendo Imperatore. Imperatorem vehementissime accusant Episcopi & alii: Imperator se excusat, & omnia promittit, septem diebus contenditur; tandem concludunt Principes, negotium Imperatorium tractandum esse Augustæ, arbitro Pontifice Romano: interim Henricus curaret se absolui ab excommunicatione, ante annum vertentem. Mense igitur Decembri cum coniuge & filio, ac paucis comitibus, iter Henricus ingreditur in Italiam,

Q 5

peri-

petiturus absolutionem excommunicationis  
 ab hoste suo infensissimo Pontifice. Post multas  
 intercessionem, & tridui inedia ac frigus, quo  
 nudus pedibus sub dio conflictabatur, tandem  
 absoluitur Canusii, die 28. Ian. Anno 1077. in-  
 terposito iuramento, se Pontifici in omnibus  
 concessurum. Interim Papa mandat Principi-  
 bus Germaniæ, vt, si vellent, alium Imperato-  
 rem eligant. Principes Forchemiæ conveni-  
 unt, vnanimique consensu, repudiato Henri-  
 co IV. eligunt die 20. Febr. Rudolphum, Sue-  
 uiæ Ducem, cui Papa coronam misit, hac in-  
 scriptione: *Petra dedit Petro, Petrus diadema Ru-*  
*dolpho.* Delusus ad hunc modum à Pontifice  
 Imperator Henricus, clam ex Italia in Germa-  
 niam rediit, & certamina cruenta cum Regni  
 æmulo subiit. Anno 1080. Concilium Brixie  
 Noricæ conuocauit, ad quod multi Episcopi  
 ex Italia, Gallia, & Germania venere. In hoc  
 Hildebrandus, licet absens, damnatus ac depo-  
 situs est: in eiusque locum constitutus Rauen-  
 næ nouus Episcopus Wibertus, qui dictus est  
 Clemens III. Hildebrandus contra Romæ Con-  
 cilium agitauit, & Henricum Imp. iterum ex-  
 communicauit: multis etiam propositis indul-  
 gentiis instigauit Saxones contra Imperato-  
 rem. Imperator vero magno animo occurrit in  
 Misnia ad Elstrum fluium prope Geram; ibi  
 Saxones victi, Rudolpho in prælio dextera,  
 qua fidem Imperatori datam fefellerat, ampu-  
 tata: quam cum Mersburgi moriturus abscef-  
 sam intueretur, grauiter suspirans dixisse fertur  
 ad

ad Episcopos, qui aderant: *Spectate dextram, legitima supplicia expendentem, qua fidem sacramento munitam, & Henrico Domino meo datam, vobis urgentibus, prater equum & fas temere violauit. Videte, qui me contra Dominum meum solium ascendere fecistis, ut recta via me vestra monita sequentem duxeritis.* Quibus dictis, Rudolphus expirauit, Anno 1080, die 16. Octob. Sepultus Mersburgi, regio ritu: quod cum ægre ferrent quidam, & dicerent, non decere hostem Imperatoris ita honorari mortuum; respondit Imperator: *Sinite eum regis insignibus ornatum sepeliri: utinam omnes mei aduersarii hoc ornatu sepulti iacerent.* Sublato Rudolpho, Henricus IV. Imper. totam belli molem in Italiam aduersus Pontificem conuertit: & Roma capta, Hildebrandoque elapso, Wibertum, qui se Clementem III. appellarat, Pontificem constituit, Anno 1083. à quo magna solennitate consecratus est. Inde in Germaniam rediens, in Thuringia Synodum conuocauit, vbi omnes controersæ tandem componerentur. Anno igitur 1085. Garstungi in Thuringia Synodus agitur die 22. Ian. in qua Conradus, Traiectensis Episcopus, copiose adhortatur Ordines Imperii ad pacem, & ostendit, Imperatori factam iniuriam. Qui contrariæ erant sententiæ, Quedlinburgæ conueniunt, confirmant Acta Hildebrandi, & Episcopos, qui ex partibus Cæsaris erant, excommunicant. Alia igitur indicitur Synodus ab Imp. celebranda Moguntia, in qua presentibus & consentientibus Episcopis Ita-

lis, Gallis, & Germanis, acta Hildebrandi aduersus Cæsarem reprobantur, contraque Cæsaris approbantur: omnes item Episcopi, qui seditiosis se aggregarant, dignitate priuantur: deponitur etiam Cæsar Hermannus Lucemburgius, à seditiosis Saxonibus Imp. electus. Paulo post Gregorius Hildebrandus moritur mœrore animi Eligitur à Cardinalibus contra Clementem III. ex præcepto quorundam Ducum in Italia, Victor III. qui acriter Imp. partes oppugnauit. Sed hic paullo post mortuus est, & successit Urbanus II. qui acta Hildebrandi iterum confirmauit, & Clementem III. anathemate feriit.

Anno 1086. Moguntia Episcopi conueniunt cum Principibus, & communi consensu Papam Urbanum II. declarant sacrilegum, & Pontificatu indignum.

Anno 1094. Wilhelmus Angliæ Rex, Anselmo Epif. Cantuariensi, controuersiam mouit, iusque inuestituræ, quod Imper. Henricus habebat in Imperio, id se in suo Regno obtinere contendit: quod cum Anselmus concedere nollet, abiit ad Pontificem Urb. II. Romam, ubi interfuit Concilio, in quo anathemate feriébatur Episcopi, qui inuestituram à laicis fieri paterentur. Prius tamen idem Anselmus contra Græcos disputarat in Concilio Barenfi.

Anno 1095. Urbanus II. Papa apud Clarummontem in Aruernia Gallia Concilium egit Regum & Episcoporum, in quo pronunciauit, Ecclesiam ab omni seruitute Regum libe-

liberam; ideo inuestituram ab ipsis recipiendam non esse. Acta item Hildebrandi confirmavit, & Regem Galliaë Philippum, propter pellicem, anathemate ferit. Concilio fere transacto, mense Nouembri, prolixam instituit adhortationem ad Principes Europæ, eosque ad expeditionem ultra marinam pro recuperanda Terra Sancta excitauit. Anno igitur sequenti 1096. celebris expeditio in Palæstinam, à Duce Godefrido Bullionæo, Principe Lotharingiaë, & aliis Christianis Principibus suscepta est, studio recuperandi terram sanctam: Tantoque numero Christiani mare transierunt, vt Occidens vniuersus demigrare visus sit in Orientem. Appellatur Bellum sacrum, quod pio zelo susceptum est, sed piorum sanguine multo gestum. Describitur breuiter & magna cum fide à Fucherio Carnotensi, qui fuit Capellanus Balduini, fratris Godefridi Bullionæi: itemque à Gulielmo Tyrio, Blondo, & rerum Gallicarum Germanicarumque scriptoribus.

Anno 1102. Anshelmus, Episcopus Cantuariensis, Concilio Londini conuocati, primus Pontificis edictum promulgauit de calibatu sacerdotum. Sequenti anno innumerabiles Sodomitas inuenit.

Eodem anno Paschalis II. Papa Concilio indicto Hildebrandi & Urbani II. antecessoris sui, acta confirmavit, & Henricum IV. Imp. iterum diris deuouit. Itaque anno 1105. Henricus V. filius Henrici IV. aduersus patrem arma sumit, & adiunctis sibi quibusdam Germaniæ proceribus,



bus, bello eum persecutus est. Northusiaz etiam in Episcoporum conuentu publice se purgauit, quod patri bellum faceret, non regnandi cupiditate, sed studio obedientiaz erga sedem Apostolicam declarandæ.

Anno sequenti 1106. Henricus Quartus Imper. decreto Paschalis Papæ excommunicatus Imperio deiicitur, & insignibus atque ornamentis Imperialibus spoliatus à Moguntino, atque in custodiam à filio coniectus, mærore animi extinguitur, Leodii. 7. Augusti, ætatis 56. Caduerecius, vt hominis excommunicati, toto quinquennio sarcophago lapideo inclusum, extra templum Spirense inhumatum stetit, & sepulturæ honore caruit: cuius rei narrationem prolixam habet Abbas Urspergensis.

Anno IIII. Paschalis Pontifex Henric. Quinto Imper. concessit ius & priuilegium Imperiale conferendi Episcopatus, & Abbatias vel Prælaturas (vt vocant) per annulum & baculum. Sed paulo post Romæ in Concilio Lateranensi, anno IIII 6. Martii congregato priuilegium illud de inuestitura Episcoporum antea traditum Henrico Quinto reuocauit, damnauit & abrogauit, illudque nominauit *Præuilegium*. Imperatorem etiam anathemate feruit. Quæ res multos Episcopos & Principes Germaniæ ad rebellionem aduersus Imperatorem commouit. Nouæ itaque turbæ, schismata & scandala in Ecclesia repullularunt. Albertus enim Moguntinus totum Imperium fere contra Imp. Henricum Quintum commouit; quod

cum Imperator tempestive perſentiret, Moguntinum cepit, & triennali carceri mancipavit.

Anno 1115. Imperator Henricus Quintus, Moguntiam profectus Synodum egit, & ſeditione ciuium exceptus eſt, quam ſedare non potuit, niſi liberato Epifcopo Moguntino ex carcere.

Anno 1116. Paſchalis Papa Romæ, die 6. Martii, Synodum iterum celebrauit, & Imperatorem Henricum V. quod de ſuo iure cedere nollet, iterum excommunicauit. Imperator contra exercitum coegit, & in Italiam profectus eſt, armis experturus, quod precibus & iure, perficere non poterat. Papa igitur fugit, & in Apulia conuocato Concilio Rogerium in Henricum Imp. armauit.

Anno 1118. Gelafius II. Pontifex Capuæ Concilium celebrauit, vbi Imperatorem cum ſuo Gregorio VIII. Antipapa damnauit, & hunc Idolum Cæſaris appellauit.

Anno 1120. Calixtus II. Papa Concilium celebrauit, in quo Hildebrandi Papæ acta in Imperatores Germanicos confirmauit, & ſacerdotum coniugia abrogauit.

Anno 1122. Calixtus II. Pontifex Rhemis Cōcilium celebrauit, ſtatuitque, papam à nemine iudicari debere, & miſit Cūnonem in Germaniam, qui vbiuis locorum Epifcopos cogeret, & excommunicationem Imperatoris vrgeret. Huius violentia Imperator Henric. Quintus coactus, petiit ſibi inducias dari, quo

cum Principibus consultaret. Indicitur itaque hoc anno Concilium Wormatiense, die 23. Septembr. vbi tandem pax facta inter Papam & Cæsarem, & Pontifici omne ius inuestituræ, permissum: Cæsari concessum, vt electio Episcoporum & Abbatum in eius præsentia fieret, & tam Episcopi, quam Abbates regalia per sceptrum ab Imperatore reciperent. Tabulæ huius pacti publice in Laterano suspensæ sunt.

Anno 1126. Honorius II. Papa, Concilio Trevis habito, confirmavit Templariorum Ordinem, ipsisque præscripsit regulam, ex consilio D. Bernhardini, & vestitu albo ipsos à reliquis distinxit: postmodum vestitui huic albo addiderunt crucem rubram, post annos fere 20.

Anno 1131. Innocentius II. Papa Italia expulsus, Rhemis Concilium egit, Ludouicum Regem Gallix consecrauit, & legatum ad Imp. Lotharium misit colloqui causa, quod Leodii habitum fuit. Inde in Germania Concilia indicta, de expeditione in Italiam instituenda.

Anno 1179. Concilium Romæ in Laterano actum, conuocatis 310. Episcopis, in quo multa ad stabiliendum Pontificatum ordinata sunt: inter cætera Petrus Lombardus hæreses iniuste damnatus, 36. annis ita damnationi subiicitur; donec restitutus fuit ab Innocentio III. Pontifice.

Anno 1215. Papa Innocentius Tertius, Lateranense Concilium maximum Romæ celebrauit, cui interfuerunt Patriarcha Hierosolymitanus & Constantinopolitanus, Metropolitanus  
70. Epi-

70. Episcopi, 400. Abbates, 12. Priores conuentuales 800. Græci & Romani Imperii Legati, & Oratores Regis Hierusalem, Franciæ, Hispaniæ, Angliæ, & Cypri. Acta sunt alia multa, tum in primis Transubstantiatio panis & vini in cæna Domini approbata & confirmata est. Item, libelli quidam Abbatis Ioachimi condemnati. Petrus vero Lombardus in loco de Trinitate defensus est, & eius accusatores damnati. Decreta etiam expeditio in Syriam, pro terra sancta recuperanda. Ex hoc itaque tempore per omnes fines Christiani Orbis emissi Doctores, innumerabilem hominum multitudinem exhortationibus suis excitarunt, ut pro liberatione terræ sanctæ, crucis signo notati, militiæ sacræ nomen darent.

Anno 1245. Concilium generale Lugduni celebratum est, in quo Fridericus Secundus Imp. tanquam schismaticus & hostis Ecclesiæ, excommunicatus est, & imperio priuatus, ab Innocentio Quarto pontifice. Contra eundem electus est Henricus, Hassiæ ac Thuringiæ Landgravius, qui tamen anno 1247. occisus est sagitta prope Ulmam, sepultus Isennaci. In eodem Concilio Lugdunensi Rex Angliæ conquestus erat de exactionibus Pontificiis in suo Regno, id quod pontificem adeo male habuit, ut iuberet Regem Galliæ Anglo bellam inferre.

Anno 1274. Concilium Lugdunense celebratur, cui interfuerunt Episcopi quingenti, Abbates & Prælati mille fere: pro recuperanda terra sancta. Legati etiam Constantinopolitani adfuerunt,

fuerunt, qui obedientiam pontifici Romano promiserunt, tantummodo auxilia non subministrarentur Balduino, Regi profugo. Cū Thomas Aquinas in itinere moruus esset, Bonaventura, in præsentia Michaelis Palæologi Imper. Græcorum, Gregorio Decimo præsidente, cum Græcis contulit de processione Spiritus S. Ibi dem genuflexio ad mentionem nominis Iesu instituta est. Rudolpho Habsburgensi confirmatum Imperium.

Anno 1296. Parisiis Synodus acta contra Bonifacium VIII. papam, quem multorum scelerum arguit. Causa fuit, quod papa philippum Regem regno deicere conaretur.

Anno 1311. Concilium Viennense generale celebratum fuit per biennium, in quo promulgatae sunt Clementinae, & suasu fere philippi pulchri Regis Galliae, Ordo Templariorum, qui annis ferme 184. steterat, à Clemente Quinto, pontifice condemnatus fuit, eorumque bona Hospitalariis D. Iohannis, qui tunc vocabantur equites Rhodii, collata. Vno itaque die per vniuersum orbem hic ordo deletus & extirpatus est, anno 1312. Causa deletionis subita fuit, vel religionis ethnicae inductio, vel effusa in omni intemperantia libido, vel perfidia & conspirationis cum Turcis suspicio, vel potentiae nimiae metus.

Fuerunt autem Templarii fratres militiae templi Hierosolymitani, quorum ordinem confirmauit Honorius pontifex, ut scribit Volaterranus. Vide Gul. Tyrium, libro duodecimo, cap. septimo, & Ami-

& *Æmilium* libro quinto. Memorabilis etiam est constitutio in hoc Concilio Viennensi edita, de discendis linguis, Græca, Hebræa, Chaldaea, & comprobatis gradibus in Academiis.

Anno 1408. Concilium pisis celebratum est, propter schisma pontificum Romanorum, in quo tam *Benedicto Decimotertio*, qui in Gallis hærebat, quam *Gregorio Duodecimo*, qui Romæ sedebat, pontificatus abrogatus est, & in vtriusque locum electus *Alexander V.* qui ob Hungarorum violentiam Bononiæ sedem elegit. Sed neuter voluit parere Concilio pisano, & vterque tenuerunt pontificatus insignia: *Benedictus* quidem, vsque ad mortem; *Gregorius* vero vsque ad Concilium Constantiense.

Concilium Constantiense, inchoatum est, anno 1414. mense Nou. finitum anno 1418. circa mensem Maium. Interfuerunt ei *Balthasar Cossa*, pontifex Rom. appellatus *Iohan. XXIII.* *Sigismundus*, Imp. Rom.

Hic *Iohan. XXIII.* autoritate sua priuauit, & ab officio suo abdicauit, successio in locum eius *Martino V.* Totum vero ex periuris fuit constat, & manifesta periuria stabiliiuit. Nam duos sanctissimos Martyres, *Iohan. Hussum*, & *Hieronimum pragensem*, contra saluum conductum *Husso* ab Imperatore *Sigismundo* datum, inauditos incarcerationi, neq; vllius hæreseos ex verbo Dei conuictos exuri curauit.

Decretum quoque fecit erroris & blasphemix plenum. prohibuit enim populum sub-

vtra-

vtraque specie communicare, & anathema iis denunciauit, qui hoc auderent facere: quæ tamen Christi institutio à primitiua Ecclesia obseruata fuit. In eodem Concilio Constantiensi improbata fuit illa authoritas, quam Papa sibi vendicat Statuerunt Patres, sess. 4. & 5. *Concilium esse supra Romanum Pontificem: Et pape principatum supra omnem Ecclesiam, etiam supra Concilium damnarunt.* Quod decretum etiam renouatum postea est in Concilio Basiliensi. Ideoq; hæ duo Concilia à Bellarmino & aliis pontificiis reprobantur.

Concilium Basiliense inchoatum anno 1431. die 7. Decembr. extractum est in annum vsque vndecimum, finitum 1442. Primis duobus annis nihil actum, præterquam quod Eugenius IV. pontifex citatus & accusatus non comparuit. Actum postea de reformatione omnium statuum in Ecclesia, & de Hussitis. In eodem definitum est, Romanum pontificem sese Concilio subiicere debere.

Anno 1438. Concilium Ferrariense institutum postea Florentiæ celebrabatur: ad quod profectus est Eugenius pontifex; qui cum Imperatorem Constantinopolitanum eo aduentare intellexisset, dissidentes Ecclesias, Latinam & Græcam, in vnum corpus redigere cupiens, Concilium vna cum Imperatore Græcorum Iohanne VIII. Palæologo, & Patriarcha Byzantino Iosepho ingressus, sedente Imperatore Græcorum condigna sede, aliisque Græcis è regione Ponti-

Pontificis, primo quæsitum est; Vellentne tam Latini quam Græci ex duabus Ecclesiis iam pridem dissidentibus vnâ fieri? succlamarunt omnes, placere & velle, modo rationibus illa prius confutarentur, quæ tantæ discordiæ causa fuissent. Disputabatur quotidie ab his, qui ad tantam rem delecti fuerant. Verum cum pestis Ferrariam inuasisset, ibique non sine periculo viueretur, Florentiam Concilium translatum est.

Interea Eugenius, cum à Concilio Basiliensi bis terue citatus non comparuisset, pontificatu priuatus est, anno 1439. 25. Iunii, inque locum eius pontifex creatus Amadeus Sabaudix Dux, appellatusque est Felix IV. Hinc magnæ seditiones ortæ, cum Ecclesia trifariam diuisa, aut Felicem aut Eugenium sequeretur, essentque qui Neutrales vocarentur, quod neutri obtemperarent, Græci, post multas disputationes, in Concilio Florentino cum Latinis concordiam inierunt de processione Spiritus S. de pane azymo in Cœna Domini, de purgatorio, & de Romani pontificis potestate. Sed legatis domum reuersis, Græci facti sunt à Romano pontifice longe quam antea alieniores, & priores sententias suas mordicus retinuerunt.

Concilium Lateranense vltimum, habitum est anno Domini 1516. sub Leone X. pontifice, vno anno antequam Lutherus emerfit. In hoc Concilio plenaria potestas in totam Ecclesiam papæ concessa est, quæ in nullo prius Concilio fuit confirmata. Reclamatum tamen est huic constitutioni, Nam Theologi parientes ab hoc  
Conci-



Concilio ad Concilium generale appellarunt, quæ appellatio typis edita est, & ab Ortuino Gratio citatur in libro, qui inscribitur, Fasciculus rerum expetendarum & fugiendarum. Defendunt hi Theologi Concilium Basiliens, Leonis vero illud negant legitime in Spiritu congregatum fuisse; & abusus Ecclesiæ Romanæ intolerabiles commemorant.

IMPERATORES ROMANI  
à Carolo V. vsq; ad Ferdinandum II.

**M**Aximilianus I. Imperio successorem reliquit, se suaque gloria dignum Carolum V. suum ex filio philippo Nepotem, Archiducem Austria, Regnorum 28. Regem, qui anno Christi 1519. die 28. Junii, ætatis 20. Francofurti ad Mœnum Imperator Romanorum electus est: cum antea Electores principes Imperium derulissent ad Fridericum, Saxonix Electorem, cognomento Sapientem, qui multis de causis dignitatem illam repudiauit, vt scribit Erasmus in Epistolis libr. 13. Epist. 4. In huius Caroli Quinti tempora incidit mutatio religionis, & reformatio Ecclesiarum pontificiarum: qua de causa Imperator multos & celebres conuentus habuit.

Historia breuiter sic habet. Cum Martinus Lutherus contra impias nundinationes indulgentiarum pontificiarum, anno 1517. Witeber-